CHRIS[...] Autor,
[...]rum,
Dum [...] meus esto
[...] liber!

1.

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod jis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio III.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

CONTINENS
Repetitionem Articuli

DE DEO VNO, ET TRINO.

SUB PRÆSIDIO
COELESTINI MISLENTÆ,
SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE
M. JACOBO NICOLAI, Borusso.

Publicè in Auditorio majori 29. Iunii habenda.

REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

VIRO

Admodum Reverendo, Clarissimo Excellentissimo,

Dn. JOHANNI BEHM SS.

Theologiæ D. ejusdem in illustri Academia Regiomontana Prof. facult. Theol. p. t. Decano, Sambiensis Consistorii Assessori ac Ducum Borussiæ Concionatori aulico vigilantissimo,

VIRIS ITEM

Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis,

DN. LAURENTIO PERBANDT Consuli Reip. Veteropp. fidelissimo,

DN. HIOBO LEPNERO, SENAtori Reipubl. ejusdem eminentissimo.

DN. THEODORO Schwartzen/Senatori ac Iudici Reipub. Cniphovianæ gravissimo.

DN. CHRISTOPHORO Kersten/ Scabino dictæ Cniph. Reip. dignissimo.

Magnis suis Dominis ac Patronis,

Hanc disputationem θεολογικὴν submissè consecrat, studiaq; sua ulteriùs commendat.

M. IACOBUS NICOLAI, Regiom. Boruß. Resp.

Disputatio III.

De Deo Trinuno.

Respondente M. Iacobo Nicolai.

Aggredimur nunc propitio Spiritu S. ipsam articulorum ex *Corpore Prutenico* desumtorum *Repetitionem* ab incomparabilibus illis Theologis Dn. *Morlino* & Dn. *Chemnicio*, ex postulato pientissimi quondam Principis nostri sanctissimo, institutam. Ordinis a. & memoriæ causa, telam propositi nostri intra certorum membrorum limites, ac cancellos pertexere conabimur. *Primò* indicaturi, Vndenam, & ex quoto articulo tùm Augustanæ confessionis, tùm articulorum Smalcaldicorum quod-libet doctrinæ caput in præsenti libello sit desumptum ac repurgatum: Vt ita cuivis constet, doctrinam in præsenti libello nec novam esse, nec vel tantillum ab *Augustanâ confeßione* genuina, ejusdem *Apolog.* ut & *articulis Schmalkaldicis*, reliquis scriptis *B. Lutheri*, communi insuper, eoq; magno Ecclesiarum nostrarum consensu divaricari. *Secundò* summam cu-

juslibet articuli in ~~Thesi & Antithesi~~ repetiti, recitaturi. *Tertiò* ExegesinTheseos: *Quartò* Antitheseos subjuncturi. *Quintò* deniq; Errores, vel Hæreses hodiernas breviter examinaturi circa quemlibet locum.

MEMBRUM I.

de sede Articuli de Deo.

I. Desumtus & repetitus est hic articulus *partim* ex *August. confess.* uti ab initio statim articulus *de* Deo conceptis verbis in *Thesi* & *Antithesi* proponitur, hunc in modum: *Ecclesiæ magno consensu apud nos docent: decretum Nicenæ synodi, de Vnitate essentiæ divinæ, & de tribus personis verum, & sine ulla dubitatione credendum esse, videlicet: quod sit una essentia divina, quæ & appellatur, & est Deus æternus, incorporeus, impartibil. &c. & tamen tres sint personæ ejusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus S. Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas ut Manichæ: Valentin. Arian. Eunom. Mahometist. Damnant & Samosatenia: Veteres, & Neotericos &c.* Partim ex *Articulis Schmalcaldicis*, nempe ex *Primâ parte*, in qua summi articuli divinæ Majestatis proponunrur: inter illos primus, & secundus ita habet: *I. Pater, Filius & Spiritus S. in una divina essentia, & naturâ tres distinctæ personæ sunt unus Deus, qui creavit cœlum, & terram.*

II. *Pater à nullo, Filius à Patre genitus est: Spiritus S. à Patre & Filio procedit.*

MEMBRUM II.
de summa Articuli repetiti.

3. Pertractatur Repetitio articuli de Deo tùm θετικῶς primo asserendo illum esse verum Deum, qui sit Pater Filius, & Spiritus S. non a. propterea plures esse Deos; sed unum ob unicam, ac simplicem essentiam divinam, æternam, & omnipotentem Deutr. 6. v. 4. 5. Esaiæ 44. v. 6. 7. 8. c. 45. v. 3. 5. 6. 7. 14. 1. Cor. 8. v. 6. Deinde pluralitatem personarum ex Vet. Test. evincendo Gen. 1. v. 1. 26. 27. c. 19. v. 24. Ps. 45. v. 8. Tertiò Deitatem veram tum Filii, tùm Spiritus S. in specie ex scriptura S. demonstrando: Et Quartò deniq; Trinitatem personarum tum ex distinctis nominibus, tum ex visibili apparitione vindicando: tum ἀντιθετικῶς in genere rejiciendo, & damnando omnes hæreses cum hac doctrina pugnantes, ac in specie 1. Sabellii & Serveti 2. Compani, fingentis duas duntaxat in Deitate personas. 3. Arianorum 4. Photinianorum 5. Tritheitarum 6. Antilogorum.

MEMBRUM III.
De exegesi Theseos.

4. Assertio orthodoxa pertexitur Primò prologo, & postmodum ipsa πραγματεία.

5. In Prologo recensentur caussæ, propter quas articulus de Deo tum repetendus, tum re-

purgandus necessario fuerat hoc quidem in loco, illòq; tempore.

6. Prægnantissima commemoratur, mentione certaminum de Trinitate, ex Veterum Hæreticorum consopitis anteà cineribus resuscitatorum, ac renovatorum: Qualia quidem certamina in Antithesi recensentur, simulq; innuitur errores periculosissimos, cum dogmate de S. S. Trinitate è diametro pugnantes ex Germaniâ, & viciniâ hisce in oris Balticis fuisse sparsos.

7. Porrò ejusmodi errorum, vel hæresium causa *efficiens Principalis* indigetatur, nimirum ipse *Diabolus*, vel Satanas. Huic namq; proprium est, esse spiritum mendacem in ore Prophetarum 1. Reg. 22. v. 22. Zizania inter triticum spargere *Math*. 13. v. 25. 27. 28. Deo repugnare 1. *Petri* 5. v. 8. excœcare sensus incredulorum, ne illis illucescat lumen Evangelii, gloriæ Christi 2. *Cor*. 4. v. 4. homines à verbo Dei abducere, & in errorum labyrinthos deducere 2. *Cor*. 11. v. 3. 1. *Tim*. 2. v. 14. Apoc. 12. v. 9. per varios assultus generi humano insidiari *Ephes*. 6. v. 11. nec non Hæreticis versutiam & astutiam, qua simpliciores adoriantur, iisq; imponant, instillare. *Ephes*. 4. v. 14.

8. Impulsiva intrinsecùs in Satana dicitur fuisse odium ἄσπονδον quo ille genus humanum perniciosissimè, ac indefesso studio persequitur; unde meritò pessimus salutis nostræ hostis nomina

nominatur ex *Gen.* 3. v. 15. 1. *Pet.* 5. v. 8. nosterq; accusator die ac nocte Apoc. 12. v. 9. 10. bellum insuper nobiscum gerens, qui custodimus mandata Dei ibid. v. 17.

9. *Forinsecus* movens duplex commemoratur 1. *Ingratitudo* hominum. Hæc n. in hominibus nauseam parit, quò minùs mysteria salutis divinitus patefacta, impensè æstimentur, quin magis viliora, vel tresse minuto habeantur. Propagatores etiam, ac assertores purioris religionis nō tantum negligātur, verùm etiam despicatui, probro, sannis, ac pressuris exponantur. Hinc tandem certa sequitur (licet aliquando tardius) gravissima pœna divina, immittens efficacā erroris, instigante, ac procurante Diabolo: quò mendaciis & mendacibus credamus. Ose. 9. v. 7. 8. 9. 11. 17. 2. Thess. 2. v. 11.

10. 2. *Rationis curiositas.* Novit namq; Satanas rationis humanæ curiositatem, quod supramodum delectetur, non ut sublimibus hisce mysteriis juxta doctrinam Verbi Dei simpliciter, credat; sed acumine suo in illa inquirat. Hinc sese extollit adversus agnitionem Dei 2. Cor. 10. v. 5. Mysteriaq; de Deo, ac rebus divinis pro stultitia habet 1. Cor. 1. v. 18. cap 2. v. 14. Quod animadvertens Satanas, commodam nanciscitur occasionem, emittendi satellites suos, ad decipiendum omnes ejusmodi, quicunq; rationi suæ frena laxant, ipsiusq; decempedâ agros Mysteriorum metiri sibi præsumunt. Vbi etiam facillimo

cillimo negotio assequitur quod intendit: Nam plausibilitèr sapientibus hujus seculi persuadet, illud solummodò verissimum esse, adeòq; unicè amplectendum, quod ratio humana verum judicat, & agnoscit. Jam v. in Deitate unum, & tres esse simul & semel, ratio humana impossibile judicat. Idcirco etiam dogma orthodoxum de unicâ essentia divina ac tribus in ea personis nequaquam ceu verum agnoscit; sed repudiat. Et *contra*: illas opiniones Hæreticorum commemoratas ultrò acceptat, quas audit, & legit à ratione non esse alienas; sed proximè ad ejus dictamen accedere.

11. Atq; hæc ipsissima, eaq; inter reliquas principalis causa est, quod ab antiquis, & modernis Hæreticis, ac schismaticis, reliqui insuper fidei articuli sint oppugnati, hodieq; impugnentur, vel ad minimum in dubium vocentur. Sed quid ad hæc divina, ac cœlestis sapientia? *Perdam, inquit, sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium rejiciam.* Vbi sapiens? ubi scriba? Vbi disputator hujus seculi? Nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus 1. *Cor.* 1. v. 20. ex E*sai*. 29. v. 14. c. 33. v. 18.

12. Finalis deniq; caussa, quam Satanas in depravatione tanti Mysterii intendit per Emissarios suos ac hæreses, est damnum Ecclesiæ & dispendium salutis nostræ. Depravato quippe, & abnegato Articulo hocce de Deo, universæ nostræ religionis ἀκρόπολις funditùs everti

tu:

tur, ac solo æquatur: quâ debellatâ, & destructâ, nil amplius est reliquum, in quo vitam habeamus æternam, ita asserente ipsa viâ salutis, veritate, & vitâ Joh. 17. v. 3. Vnde simul elucescit hujus articuli summa necessitas, adeò ut nemo Veri Christiani titulo gaudere queat, eo ab-negato; maxima utilitas, quippe extra quē nil spei de salute, & vitâ æternâ reliquum: Amplissima deniq; dignitas & Majestas, siquidem in eo ἀκρόπολις fidei & religionis nostræ fundata est. Merito itaq; agmen in repetitione & repurgatione reliquorum locorum doctrinæ ducit.

13. Hucusq; *Prologus*: sequitur ipsa *Tractatio* articuli, constans 1. Dei descriptione, & 2. *descriptionis Explicatione*.

14. Descriptio Dei his proponitur verbis: *Credimus illum esse verum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus S.*

15. Verbis hisce numero paucis, arcanum sublime de Deo, ex patefactione divinâ commodissimè exprimitur. Non n. Deus aliter se revelavit, neq; etiam alio nomine à nobis agnosci & credi debet. Vbi non est expectanda, aut exigenda definitio perfecta, ob simplicitatem, incomprehensibilitatem, & inde-pendentiam divinam: Neq; etiam assumenda fuit descriptio aliunde prolixior, quippe oratoria magis ac popularis.

16. Potest autem descriptio illa aliis efferri verbis: *Deus est essentia inde-pendens in tribus personis una.*

17. Explicatio descriptionis est trimembris In Primo probatur essentiæ divinæ simplicissima unitas; *in secundo*, in unitate illa personarum pluralitas; in *Tertia* Hypostatica cujuslibet personæ Proprietas.

De Primo.

18. Primum membrum ita habet: *Non ita autem credendum, quasi tres sint* Dii: *Hoc enim simplicitas divinæ essentiæ nullo modo admittit: Vnica enim est divinitatis essentia æterna, & omnipotens. &c.*

19. Vbi pro uberiore hujus membri explicatione notandum 1. Essentiæ Dei nomine nil aliud innui, quàm ipsam Deitatem, quâ Deus esse creditur *Hebr.* 11. v. 6. adeoq; neq; ut genus, nec ut speciem, sed veluti individuum concipi debere. Non n. est universale quid, sed singulare, modo planè extraordinario tanquam singulare in singularibus, vel singulis tribus personis existens, & tres personæ in essentia unica, ut singularia in singulari subsistentes.

20. Desumtus est a. essentiæ terminus ex *Exod.* 3. *v.* 14. *Ioh.* 8. *v.* 58. c. 10. n. 30. 1. *Ioh.* 1. v. 7. *Apoc.* 1. v. 8. cui duo alii æquipollent, nimirum *Naturæ* 2. Pet. 1. v. 4. & *Deitatis* quæ significatione unica est, sive dicatur θεότης Col. 2. v. 9. sive θειότης Rom. 1. v. 20.

21. 2. In essentiâ divinâ duo esse apprimè expendenda, 1. *Nomina* divina 2. *Attributa.*

22. *Nomina* divina sunt, quæ de Deo dicuntur,

tur, ab ipsoq; Deo profecta sunt, ac manifestata partim in veteri; partim in Novo Testamento.

23. *Nomina* in V. T. revelata sunt *vel* essentialia, *ac substantialia* V. G. Tetragrammaton Iehova, infinitis locis; *Iah.* Psal. 89. v. 9. Psal. 118. v. 14. 17. 18. 19. Esa. c. 12. v. 2. c. 26. v. 4. *Ehieh.* Exod. 3. v. 13. 14. vel *designantia proprietates* Dei v. 5. *El*, fortis Esa. 9. v. 6. *Schaddai* Gen. 17. v. 1. sufficientissimus.

Adonai (Dominus) in suis vocalibus & propriis consonantibus expressum, ac lectum: occurritq; 134. vicibus sine additione יהוה cum additione 222. *Eljon* altissimus Psal. 91. v. 9. Psa. 92. v. 9.

24. Nomina Dei in N. T. *duo* sunt usitatissima 1. Θεὸς Deus; quæ appellatio Dei est vel *essentialis*, & absoluta, denotans ipsam essentiam divinam in communi: vel *personalis* & relata pro certa SS. Trinitatis personâ Act. 5. v. 4. c. 20. v. 28. 2. *κύριος Dominus* quæ appellatio æque est essentialis, respondens nomini Jehova, vel אדני Adonai.

25. Attributa divina sunt, quæ nobis aliquomodo declarant essentiam divinam, suntq; nil aliud quàm ipsa Dei essentia, vel ipse Deus: ea nimirum, quæ propriè de Deo dicuntur; qualia sunt quæ Dei essentiam notant vel à *priori* h. e. Absolutè, ac in se consideratam. V G.

1. *Vnitas* quâ Deus est unus numero absolutè, non privativè, sed *positivè*. Est n. Deus ita unus,

unus, ut sit solus, & præter ipsum non sit alius ejusdem essentiæ: Est unus, non unitate *Quantitatis*, sed *essentiæ*, nec unitate *respectivâ*, sed *absoluta*. Deutr. 4. v. 34. c. 6. v. 4. 5. c. 32. v. 39. Esa. 41. v. 4. c. 44. v. 6. 7. 8. c. 45. v. 3. 5. 6. 7. 14. 21. 22. 1. Cor. 8. v. 4. 6.

2. *Simplicitas*, qua Deus omnis compositionis, partiumq; componentium est expers; non comparatè, sed absolutè, quippe nullam admittit compositionem *sive* in se; *sive* in personis, sive actionibus. Ex. 3. v. 14. 15. Rom. 11. v. 35. 36. Hebr. 2. v. 10.

3. *Immutabilitas*, quâ omnis mutationis est Deus expers: Hæc enim præ-requirit causam, quæ mutet, qualis supra Deum nulla Psal. 102. v. 27. 28. Num. 23. v. 23. Mal. 3. v. 6. Rom. 1. v. 23. 1. Tim. 1. v. 17. Iacob. 1. v. 17. sub qua includitur 1. *immortalitas*, ac *impatibilitas*, quâ Deus nulli corruptioni est obnoxius.

2. *Necessitas* qua Deus ab omni alteratione liber est, ceu ens summè necessarium 3. *Perfectio* non privativa, sed negativa, siquidem Deo nil perfectionis deest, ceu actui purissimo Job. 37. v. 15. Math. 5. v. ult. 4. *Infinitas*, per quam Deus nullo modo potest terminari ob defectum limitationis & termini: sub qua includitur 1. *Immensitas*: ob quam Deus nullo capitur loco, *sive* sustinente. *sive* ambiente; *sive* interno, *sive* externo 1. Reg. 8. v. 27. Esa. 66. v. 1. Act. 17. v. 27. 28. 2. *Omnipræsentia* (quæ ab Immensitate dependet)

per

per quam Deus est, ubicunq; creatura aliqua, vel locus est, Psal. 139. v. 8. 9. Esa. 66. v. 1. Jer. 1. v. 5. & c. 23. v. 2. 3. *Incomprehensibilitas*, qua Deus á nobis non potest comprehendi Psal. 145. v. 3. 1. Tim. 6. v. 16. Et 4. *Æternitas*, quâ Deus est sine initio, & fine, expers temporis, secundum terminum, & successionem Gen. 21. v. 33. Psal. 48. v. 15. Psal. 92. v. 9. & 102. v. 25. 26. Esa. 44. v. 1. cap. 57. v. 19. Rom. 16. v. 26. 1. Tim. 1. v. 17.

26. Vel à *posteriori*, quæ Deo tribuuntur, prout est agendi principium, *tum* vitale, tùm Intellectuale: utrobiq; præsupponitur *Vita Spiritualis Dei*, quæ nil aliud est quàm actus, ab essentia Dei fluens, quo illa in se actuosa esse intelligitur: Hinc illæ loquendi formulæ: *Vivo ego*, inquit *Dominus* &c. & *Vivit Dominus* &c.

27. Cum verò *tria* pertineant ad operationem Dei, ex quibus divina essentia actuosa esse cognoscitur, nimirum 1. *Intellectus*, vel *scientia*. 2. *Voluntas*, & 3. *potentia*, tria etiam exsurgunt inde divina attributa.

1. *Intellectus* Dei, quo Deus *tum* seipsum, tum omnia alia à se diversa, à seipso, & per se ipsum simul, & semel distinctè cognoscit. Act. 15. v. 18. Hebr. 4. v. 13.

2. *Voluntas* Dei, quâ Deus semetipsum tanquam summum bonum amplectitur, eaq; quæ bona sunt, vult, decernit, præcipit, & facit, Jon. 1. v. 14. Dan. 4. v. 17. 35. Jac. 1. v. 18. Variæ autem in scholis Theologorum traduntur voluntates

luntatis divinæ, essentialiter unius, ac simplicissimæ distinctiones, de quibus aliàs.

3. *Potentia* Dei, qua Deus omnia, quæ divinam ejus Majestatem decent, extrinsecus facere potest, & ea quæ vult, reapse facit: vocatur alias *Omnipotentia* Gen. 17. v. 1. c. 28. v. 3. c. 35. v. 11. Es. 50. v. 2. Jac. 32. v. 17. 18. 19. Psal. 91. v. 1. Luc. 1. v. 37. Apoc. 4. v. 8. c. 11. v. 17. c. 19. v. 6.

28. Præter hæc attributa, quæ Deo ceu *viventi Spirituali* competuunt, dantur alia quæ eidem ceu viventi *Perfectionali* vendicantur: suntq; duplicis generis: *Quædam* enim revocantur ad *Ideam virtutis*: *Quædam* ad *Ideam Beatitudinis*.

29. *Illa* referuntur *partim* ad *intellectum*, *partim* ad *voluntatem*, *partim* ad *utrumq;*.

30. Ad *Intellectum* refertur *scientia* Dei (per quàm Deus est omniscius) estq; rerum omnium simplicissima Noticia: dicitur alias *Sapientia*, *Prudentia*, & *Omniscientia* Job. 11. v. 6. 7. 8. 9. c. 12. v. 13. c. 21. v. 22. 1. Sam. 2. v. 3. Psal. 147. v. 5. Psal. 139. v. 1. 2. Jer. c. 10. 12. c. 32. v. 17. 18. 19. 37. Esa. 40. v. 14. Rom. 11. v. 33. c. 16. v. 27. 1. Tim. v. 7. 1. Joh. 3. v. 20.

2. *Veritas* sive Veracitas Dei, quâ ipse ratione sui verus est Deus, ac verè omnia, *tum* ad intrà *tum* ad extra concipit, & intelligit, nec non omnis veritatis creatæ caussa, & Regula prima perfectissima & immutabilis est 1. Joh. 5. v. 20. 21.

31. Ad *voluntatem* divinam sequentia reducuntur *attributa*.

1. Boni

1. *Bonitas* Dei, qua ipse bonum suum creaturis, quâ tales sunt, potest, ac vult communicare ad Extra Psal. 25. v. 8. Psal. 56. v. 8. Psal. 119. v. 68. Math. 19. v. 17. Huc refertur Dei 1. *Benignitas*, quæ est affectus, & effectus Dei benevolus erga creaturas, officium suum facientes 2. *Misericordia*, quæ est affectus pronus Dei, erga creaturas peccantes, quo subvenit misero, non obstante peccato 3. *Amor* Dei, qui est affectus, quo ipse creaturas, *qua creaturas* amore generali, & si bonitate Spirituali fulserint, amore *speciali* complectitur 4. *Gratia* Dei quæ est benigna, & propensa voluntas, qua ipse creaturis omnia bona liberaliter, & gratis, non ex ullo merito, vel debito nostro, largitur 5. *Clementia* vel *lenitas*, quæ est Dei benignissima voluntas: quâ in medio iræ æstu, ad Bonitatem, & Misericordiam suam respicit; & pœnam quam nobis infligere decrevit, moderatur, & minuit.

2. *Libertas*, quâ Deus, quæcunq; vult facere facit liberrimè absq; ulla lege, coactione, servitute, & onere miseriæ: Hinc Deus vocatur *agens liberrimum* Psal. 115. n. 3.

3. *Iustitia* Dei est universalis rectitudo in Deo, quâ ipse justus est, & rectitudinem ab homine requirit, eiq; quod suum est, tribuit: Deut. 32. v. 4. Psal. 48. v. 11. Psal. 92. v. 16.

32. Ad *utrumq;*, hoc est, tàm ad *voluntatem* quàm ad *intellectum* refertur *Sanctitas*, quà Deus ab omni dolo, malitia, & impuritate alienus,

est

est *verax* in *verbis*, & *justus* in *factis*; omnimodaq; *castitate* & *puritate* præditus. Lev. 19. v. 2. Es. 6. v. 3.

Attributa, quæ ad *Ideam Beatitudinis* referuntur, sunt 1. *summa felicitas* Gen. 17. v. 1. Psal. 16. v. 11. 1. Cor. 2. v. 9. 10. 1. Tim. 1. v. 11. C. 6. v. 15. 2. *Gloria* Esa. 42. v. 8. Psal. 104. v. 1. Psal. 138. v. 5. Deut. 7. v. 9. 10. Act. 7. v. 2. Iud. v. 24. 25. 3. *Gaudium* Prov. 1. v. 24. 25. 26. Soph. 3. v. 17.

33. Atq; hæc sunt *Primaria* Dei attributa, quæ *propriè* in sacris Deo competunt, atq; huc ad essentiæ divinæ declarationem à nobis allata: occurrunt præter hæc infinita fermè alia; sed *Modificata* vel *Tropica*, & non nisi ἀνθρωποπαθῶς, adeoq; defecata ab impuritate omni, huc referenda.

Satis de Primo.

De Secundo.

34. Proponitur in hoc membro sententia Orthodoxa de *pluralitate personarum in unicâ*, ac *simplicissima essentia divina*, aliquotq; dictis V. T. confirmatur, *Primo* quidem ex voce אלהים plurali: Hæc vero non importat plures essentias in Deo E. importabit plures personas, siquidem capitur *propriè*, non *modificatè* Gen. 1. v. 1 Deut. 6 v. 4.

Secundo ex *formulis loquendi pluralitatis* Gen 1. v. 26. faciamus hominem &c. & v. 27. Hi

additu

addimus Gen. 3. v. 22. 23. c. 11. v. 7. c. 20. v. 13. Esa 6. v. 8. c. 54. v 5.

Tertiò à manifestâ diversarum personarum *mentione*, quoties *Iehova* à *Iehovâ*, *Dominus* à *Domino*, *missus* à *mittente*, *unctus* ab *unguente*, & ut *alius* ab *alio* distinguitur. Gen. 19. v. 24. Esa. 44. v. 6. c. 48. v. 16. Ier. 34. v. 12. Os. 1. v. 7. Zach. 2. v. 8. 9. 10. 11. c. 3. v. 2. Dan. 9. v. 17. Hagg. 2. v. 4. 5. Psal. 45. v. 8. Conf. Es. 63, v. 7, 8, 9, 10.

De Tertio.

35. Determinatur deniq; pluralitas in Deitate, *Trinitate*; ac quælibet persona *proprio charactere* Hypostatico ab aliâ distinguitur, præmissô ordine inter personas.

36. *Prima Persona est Deus Pater*, qui Filium genuisse dicitur ex essentia sua ab æterno, & cum eodem, Spiritum S. spirare ab æterno. Psal. 2. v. 7. Ioh. 15. 16. 2. Sam. 7, 14. Hebr. 1, 5.

37. *Secunda Persona est Deus Filius* à Patre ab æterno genitus, cum eoq; Spiritum S. spirans. Quod a. Filius Dei sit verus, ac Naturalis Deus, probamus

I. Ab *appellationibus*: vocatur enim 1. *Iehova* Ier. 23. v. 6. c. 33. v. 16. Os. c. 12. 2. *Verus Deus* 1. Ioh. 5. v. 20. 3. *Deus benedictus* in secula Rom. 9. v. 5. 4. *Deus Magnus* Tit. 2. v. 13. 5. *Vita æterna* 1. Ioh. 1. v. 2. c. 2. v. 25. c. 5. v. 11. 12. 13. 20.

II. A *proprietatibus Hypostaticis*: Dicitur enim 1. genitus ab *æterno*, & quidem generatione

propriâ Psal. 2. v. 7. Prov. 8. v. 22. 23. 24. Heb. 1. v. 5. Hinc 2. *Filius Dei proprius* Rom. 8. v 32. & *unigenitus* Ioh. 1. v. 18. appellatur 3. *imago Dei* Col. 1. v. 15. 2. Cor. 4. v. 4. 4. *Character Hypostas*: Heb. 1. v. 3. 5. *Spirare Spiritum S.* Es. 11. v. 4. Ioh. 15. v. 26. c. 16. v. 14. Rom. 8. v. 10. Gal. 4. 6. 2. Thes. 2. v. 8.

III. Ab *æqualitate cum Patre* Ioh. 5. v. 18. c. 10. v. 30. & περιχωρήσει essentiali Ioh. 10. v. 38. c. 14. v. 10. 11. c. 17. v. 21.

IV. A *subsistentiâ ante incarnationem* Ioh. 8. v. 58. Gen. 18 v. 13. c. 31. v. 11. c. 32. Os. 12. Ex. 3. v. 14. c. 14. v. 19. 20. c. 23. v. 20. 21. Ios. 5. v. 13. Iud. 13. v. 23. Esa. 6. (Ioh. 12. v. 41.) c. 8. v. 18. c. 48. v. 16. Hinc dicitur *esse incarnatus* Ioh. 1. v. 14. Col. 2. v. 9. 1. Tim. 3. v. 16. Gal. 4. Heb. 2. v. 14. 16.

V. ab *attributis essentialibus ut æternitatis* Mich. 5. Hebr. 9. v. 14. 2. *Omnipotentiæ* Ioh. 5. v. 22. 23. Apoc. 1. v. 8. c. 4. v. 8. 3. *omniscientiæ* Ioh. 2. v. 25. c. 16. v. 30. c. 21. v. 17. Apoc. 2. v. 23. Col. 2. v. 3. 4. *Veritatis* Ioh. 14. 5. *Omnipræsentiæ* Ioh. 3. v. 13. c. 14. v. 28. Math. 18. v. 20. c. 28. v. 28. Apoc. 1. v. 13. 6. *cultus adorationis & invocationis* Gen. 48. Es. 63. Philip. 2. v. 9. 10. 11. 7. *fidei objecto* Ioh. 14. v. 1. & fundamento 1. Cor. 3. 11.

VI. Ab *operibus divinis* 1. *Creationis* Psal. 33. Ioh. 1. v. 3. 1. Cor. 8. v. 6. Ephes. 3. v. 9. Col. 1. v. 15. 16. Heb. 1. v. 2. 3. 10. 11. 12. 2. *Miraculorum*

Math. 10. v. 1. Act. 3. 6. Ioh. 2. v. 11. 3. *Redemtionis* Gen. 48. v. 15. 16. Iob. 19. v. 15. Es. 49. 6. c. 63. c. 45. v. 17 Mat. 1. v. 21. 4. *Salvationis* Act. 4. v. 12. c. 15 v. 11. 5. *Sanctificationis* vid. Exeges. Dn. Mentz. p. 95. 96.

38. *Tertia Persona est Deus Spiritus S.* à Patre & Filio per æternam atq; unicam spirationem procedens. *Processio* probatur Spir. S. à *Patre*, & *Filio* Ioh. 14. 16. 26. c. 15. 26. c. 16. v. 14. c. 20. v. 22. Esa. 61. v. 1. Ioel. 2. v. 28.

Divinitas probatur 1. ex *nominibus* Act. 1. v. 2. Sam. 23. 2. 10. c. 4. v. 25. c. 5. v. 3. 4. 1. Cor. 3. v. 16. 19. 20.

2. Ex *attributis essentialibus* Dei, 1. *immensitatis* 2. *omnipræsentiæ* 3. *omniscientiæ* 4. *omnipotentiæ* 5. *veritatis* 3. ex *operibus divinis*: 4. *cultu adorationis*: De quib. singulis vid. exeges. Dn. Mentz p. 37. 38. 39.

Personalitas probatur ex *attributis*, quæ Spiritui S. competunt, *tùm* ratione *actus primi*, ut sunt 1. *essentia* 2. *vita* 3. *intelligentia* 4. *voluntas* & 5. *potentia*; *tùm* ratione *actus secundi*, ut sunt *actiones*: vel *opera Spiritus S.* vid. singul. suo loco: A quo autem proficiscuntur actiones propriè; illud est suppositum, vel persona.

39. Hisce sic præmissis, concluditur in Deitate unica Personarum Trinitas ex Novo Test. Math. 3. v. 16 c. 17. v. 5. c. 28. v. 19. quibus add. 1. Ioh. 5. v. 7. Ex Vet. a. T. huc facit apprime locus Esa. c. 63. v. 7. & seq.

Hucusq; Exegesis Theseos.

de Exegesi Antitheseos.

40. In Antithesi sex hæreticorum perstringuntur agmina: nos vero Methodi ac ordinis gratia, Hæreses cum hoc articulo pugnantes dispescemus in *veteres* & novas, vel potius renovatas.

41. *Veteres* deprehendimus pugnasse, 1. vel *contra essentiam*, & *attributa* divina; vel contra personarum pluralitatem.

42. Vnitatem essentiæ divinæ impugnarunt 1. Æonistæ, fingendo æonas nascentes, & nubentes; 2. duo esse rerum principia βύθον καὶ σιγὴν: *profunditatem* vocabant *patrem*, *silentium matrem*, ex quorum propagatione ortus sit intellectus & veritas. Huc pertinent Valentini[a] Ægyptius, qui 30. æonas ceu Deorum generationes confinxerat 2. *Secundus* à quo *Secundiani*, *Heracleon*, *Marcus* à quo *Marcitæ*, *Cerdon Syrus*, *Marcion Ponticus*, *Apelles Syrus* *Manes*[b] *Persa* *Priscillianistæ*[c] in Hispania *Messaliani*,[d] *Monarchitæ*, *Carpocratiani*, *Gnostici* &c.

43. *Attributa* divina impugnarunt, ac 1. quidem *simplicitatem*, *Audæani*, *Melitonii* & *Anthropomorphitæ*, qui Deo corpus affingebant 2. *Manes* & *Manichæi*, qui Dei substantiam frustratim, in omnes creaturas diffusam esse delirabant.

2. *Æternitatem*, ut *Hermogenes* circa A. 300. Materiam Mundi Deo coæternam statuens. Hono

3. *Sanctitatem*, ut *Florinus* & *Blastus* Deum causam

a. Filastr. Cat. Hær. p.m. 18. seq. b. 107. c. Honor. p.m. 8. d. Filast. p. 108.

causam esse peccati, ac creatorem blasphemātes apud Theodoret. lib. 1. Hæret. nec non *Manichæi*. 4. *Majestatem & gloriam*, ut *Eliesæi*, & *Samsæi*, qui aquam instar Dei adorabant, divinumq; cultum mulierculis quibusdam blasphemè deferebant; quarum insuper vestigiorum ac pedum pulverem, ut & salivæ screatum, ceu rem sacrosanctam asservabant & colebant. 2. *Collyridiani* qui placentam Div. Mariæ offerebant eamq; adorabant.

44. Qui S. S. *Trinitatem* impugnabant; peccarunt *vel* in *defectu vel* in Excessu.

45. *In defectu* qui peccarunt sunt *Monoprosopistæ* qui unicam duntaxat credebant Deitatis personā, 1. *Basilides* 2. *Ptolomæus & Colurbasus* 3. *Montanus cumq́; eo Noetiani*, *Sabelliani à Sabellio Pētopolit: Ægyptio*, *Praxeas*, *Hermogenes*: *Patripaßiani Samosateniani Manes alias Manichæus Donatus Priscillianistæ Marcellinistæ Metangismanitæ transvasantes*, *Acasiani*, *Mahumedani*.

46. 2. *Pseudoprosopistæ* ut 1. *Simon Magus*, qui se pro Christo, scortumv. suū *Helenam* pro Spiritu S. mentiebatur. 2. *Menander*, qui seipsum pro Salvatore mundi venditabat, apud Iren. l. 1. c. 21.

47. In *Excessu*, qui plures quàm tres personas profitebantur, ut *Marcion*, qui pro Trinitate fabulosam quandam *Quaternitatem* introducebat. Idem baptizare solebat in nomine *Ignoti patris* omnium & *Veritatis* matris omnium, & *ejus qui descendit* in Iesum ad unctionem & redemtionem.

48. Deitatem Filii Dei impugnabant I. *Ana usii*, & *Psylanthropistæ*, ut 1. Carpocrates Ægyptius, 2. Theodotius, 3. Huc pertinent Alogiani, Berilliani; Artemonitæ, & Photiniani: II. *Heterousii*, qui 1. quidem filium Dei ante Mariam extitisse concedebant; sed tamen, ut Spiritum creatum, ut 1. Origenes, 2. *Manes*, 3. *Arius*, quem post secuti *Aëtius*, *Eunomius*, *Eudoxus*; *Theophronius*, *Macedonius* &c.

49. Generationem Filii Dei æternam impugnabant ac essentialem 1. *Spermogenistæ*, Blastus & Flocinus, 2. *Fabulistæ* & *Heracleonitæ*, & *Bardesionistæ*, 3. *Nativitarii*, 4. *Æonistæ*, & *Valentiniani*, *Seleuciani*, & *Colurbasii*.

50. *Spiritus S.* Deitatem impugnabant, ut est *Macedonius* & *alii* omnes, quotquot Christi Deitatem, & personarum pluralitatem hostiliter adoriebantur.

MEMBRUM V.

De Erroribus hodiernis circa hunc articulum.

51. Errant hodiè circa hunc articulum *vel pleriq;* eorum, qui aliàs S. S. Trinitat. confitentur; *vel* qui eandem impugnant.

52. *Prioris* generis sunt errores I. *Pontificiorum*, quos ritè ac solidè examinavit Dn. *Menzerus* in Exegesi A. C. p. 41. Nos quædam paralipomena huc apponemus.

1. Nomen *Iehova*, B. *Virgini* vendicat *Iesuita Vega* in commentar. super Apocalypf. c. 12. sect. 2. num. 9. his verbis: *Tetragrammaton est nomen sacer-*

sacerrimæ Virginis, nec hoc solùm, sed suo modo ineffabile, non solùm hominibus; verùm etiam ipsis Angelis 2. Ibid. sect. 2. *cultum* adorationis soli Deo proprium defert B. Virgini, sic scribens: *Dedit tibi Maria tota Trinitas Nomen, quod est supra omne Nomen, ut in nomine tuo flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & inferorum; Nomen tantæ Virtutis, ut ad ejus invocationem cœlum rideat, infernus conturbetur.* Qui Error est *Collyridianorum*, de quo supra: & refutatus à Dn. Menzero super artic. 21. A. C. p. 856.

II. *Calvinianorum.*

53. Examen horum videri poterit apud Dn. *Menzer.* d. l. p. 43. additur à nobis I. Error *cum æqualitate personarum pugnans*; quando I. Calviniani Deum Patrem vocant, κατ' ἐξοχὴν Deum, vel *principaliter* ut Zanch. de trib. Elohim in præfatione, & lib. 1. c. 3. Sohnius tom. 2. Exeges. A. C. *Polanus* in symphon. Cathol. cum *Calvino* l. 1. Institut. c. 13. s. 23. 2. quando Pater ab eis dicitur *major filio*; quia hic originem, & principium habet à Patre. 3. quando Filius dicitur *secundus* à Patre non solùm *ordine*; sed *etiam dignitate*: *Chassan.* loc. 1. L. C. c. 15. s. 3.

II. Error cum *simplicitate & Infinitate* Dei pugnans, dum Deum collocant sub genere; Reliquos errores in Dei Sanctitatem, Iustitiam, Misericordiam, Omnipotentiam ac Omnipræsentiam impingentes, vide confutatos part. 2. prob. Calvinisticæ Dn. Meisneri.

Errores Anti-Trinitariorum recentiorum.

54. Tales verò occurrunt vel in *excessu*; vel in *defectu*: In *excessu* peccavit *Valentin.* Gentilis; non tantum tres personas; verùm etiam *tres divinas essentias* esse contendendo. In *defectu* peccant, qui vel *duas*, vel *unicam* duntaxat personam Deitatis credunt.

55. *Duas* credidit *Campanus*, *unam* credidit *Servetus* cum *Sabellianis*, *Noetianis &c.*

56. *Vnam* etiam non plures agnoscunt hodierni *Photiniani*, quorum sententia per Dei gratiam satis superq; refutata, prolixiori Examine non indiget. *Brev:* Errant I. circa *nomina Dei*, nullum Deo proprium relinquentes, *nec Tetra*: *Iehova*. II. Circa *attributa Dei*, negando Dei 1. *simplicitatem ac* 2. *Infinitatem* cum *Vorstio*. 3. *Omniscientiam* circa mala culpæ futura. Vid Socin. prælect. c. 8. & 9. 4. *Omnipræsentiam*, Socin. respons. cont. *Fr. David.* c. 14. p. 117. & de immortalitat. prim. homin. p 65. c. 1. *Smalc.* in not. contr. *Dn. Franz.* thes. 9. p. 4. 5. *Iustitiam vindicatricem* scelerum. Socin. contr. Covet. passim.

III. Circa *personarum pluralitatem*, & distinctionem, quippe præter unicum Deum Patrem; nullam præterea agnoscunt in Deitate personã. Vide *refutat.* ap. Dn. *Menzer.* d. l. p. 48. membr. 8. Consule Dn. *Franz.* in Anti-Schmaltz Dn. *Balduini*, *Meisneri*, *Hunnii*, &c. scripta solida, ad quæ nil hactenus solidi respondere poterant Photiniani.